

Flammeus antè alto descendet Phœbus Olympo,
Et sua in Hesperijs plaustra lauabit aquis.
Singula quàm breuibus possem comprehendere verbis,
Sunt quibus illius corda polita viri.
Nos igitur reliquorum omnes atq; illius ergò
Venimus ex Clarijs turba sacrata iugis,
Nempè horum roseis decoremus tempora sertis,
Quæ texunt reliquæ numina blanda Deæ,
Perpetuum nostri gestent vt pignus amoris,
Fama nec ipsorum per Styga carpat iter.
Sed pater Heliadum Tartessia littora tangens,
Non patitur longam nos superesse moram,
Et quia me reliquæ ducunt hinc voce sorores,
Hic igitur nostras anchora siste rates.
Sic ait: & tenues euanida cessit in auras,
Nec visa est oculis amplius illa meis.
At me tunc subito crudelis deserit horror,
Territaq; officio lingua potita suo est.
Tum membris habilis vigor & vis firma redibat,
Lætaq; purpureus pectora sanguis adit.
Felix illa mora est, niueoq; notanda lapillo,
Qua cepi tales aure patente sonos.
Inde gradū reuocans tunc mœnia rursus adibam,
Phœbus ad occiduas cum properabat aquas.
Tempore quo saturæ redeunt ad tecta capellæ,
Vberaq; albenti turgida lacte ferunt.
Ergo tibi tantos lætus modo grator honores,
O mihi Thesæa cognite Paule fide.

B

Quid